



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 74. Cleri Gallicani acta in caussa Constitutionis Pontificiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. „meam interponere rogati sumus. Cum  
A. C. 1705. „autem, servata tamen forma Sacris  
 „Decretis & Ecclesiæ Gallicanæ praxi  
 „stabilita, tranquillitatem, quæ hujus  
 „Constitutionis fructus esse debet, Re-  
 „gni nostri Ecclesiis prompte reddi ar-  
 „denter desideremus, opportunitate  
 „vestri Conventus Parisiensis jussu no-  
 „stro convocati utendum ratus, hujus  
 „Constitutionis transumptum vobis eo-  
 „sine transmittimus, ut eam reveren-  
 „tia Pontifici debita, ac consueto ve-  
 „stro Ecclesiæ bonum utilitatemque  
 „promovendi Zelo recipiatis, Horta-  
 „mur itaque vos, ut de ejus accepta-  
 „tione, necnon de opportunis illam in  
 „omnibus Regni Diæcesibus in usum  
 „deducendi mediis nulla mora delibe-  
 „retis, ut de vestra acceptatione, ve-  
 „stroque consilio certiores redditi, præ-  
 „fatæ Constitutionis promulgationem,  
 „ac per universum Regnum, Provin-  
 „cias, & loca executionem præcipere  
 „valeamus, rogantes, ut Deus Vos  
 „custodiat &c. „

## §. LXXIV.

*Cleri Gallicani acta in causa Consti-  
 tutionis Pontificiæ.*

*Argentre  
 Coll. Jud.  
 t. 3. p. 450.*

Altera mox die Cardinalis Noallius  
 Parisiensis Archiepiscopus in publicis  
 Cleri

Cleri comitiis Regis literas unacum Sæc. XVII. A. C. 1705.  
 Constitutione Pontificia prælegi iussit, ac postea ejusdem Regis pietatem, prudentiam, & benevolentiam erga Clerum commendans, rationes, quibus hic Princeps ad petendam hanc Constitutionem urgebatur, necnon ingentia pacis commoda inde in Ecclesiam redundatura exposuit, minime dubitans, eam non modo cum omni reverentia, sed & ingenti gaudio a singulis acceptatum iri. Hanc in rem Rothomagensem Archiepiscopum, sex Episcopos, & septem Abbates tanquam Deputatos nominavit, eisque Constitutionem tradidit, ut desuper in comitiis referre possent. Die autem vigesima prima ejusdem Mensis idem Rothomagensis Archipræsul retulit, a ceteris Deputatis decretum esse. I. Doctrinæ capita dijudicandi potestatem Episcopis ex Divina institutione competere. II. Pontificum Constitutiones a toto Pastorum Corpore acceptatas obligare universam Ecclesiam. III. Hanc acceptationem *per viam judicii* ab Episcopis fieri: his stabilitis Archiepiscopus retulit, Deputatos censere, I. omni veneratione & submissione acceptandam esse Pontificis Constitutionem. II. Proin a Cleri Conventu ad summum Pontificem perscribendam esse

R 2

epi-

Sæc. XVII. epistolam gratulatoriam, gratesque eidem esse referendas. III. Omnes quoque Regni Episcopos epistola encyclica monendos esse, ut uniformi, quantum fieri poterit, mandato præfatam Constitutionem, nil eidem addendo vel demendo, in omnibus suis Diæcesibus recipi ac promulgari jubeant. IV. Grates pariter Regi reddendas pro patrocinio hac in re Ecclesiæ impenso, & pro confidentia & bonitate erga Clerum in suis literis comprobata. V. Supplicandum Regi, ut hanc Constitutionem in toto Regno ad acta referri & promulgari, Regio edicto præcipiat, insertaque clausula prohibeat, ne existimati exempti, qui se Ordinarios dicunt, hanc causam cognoscere præsumant: Postea Præsules hujus Constitutionis verba & argumentum non modo eruditè sed & solidis animadversionibus illustrarunt, ac sequenti die hanc Deputatorum sententiam exequi decreverunt.

## §. LXXV.

*Regium diploma pro acceptanda Pontificis Constitutione.*

*Recueil l. c.* Cuncta hæc Cleri Gallicani conclusa Franciæ Rex summa animi lætitiâ excepit, eaque expectationi suæ, votisque consona reperiens, hosce Præsules